

171
lamentum.
THRENVS
IOHANNI ROSI
NO SATECENO, CIVI DOMAZLI,
CENSI, POETÆ VENVSTO, ET INGE-
nioso, Anno Clj. lç. XVIC. IIX
IDVS DECEMBRIS,
qui Nicolao est sacer, vi-
ta functo.

SCRIPTVS
A DAVIDE CRINITO Nepomuceno
ab Hlauaczoua.

Addita sunt Epitaphia eidem Iohanni Rosino, &
alijs, ab eodem DAVIDE CRINI-
TO, & alijs scripta.



RATISBONÆ,
Excudebat Iohannes Burgerus, Anno à Nato
Christo Clj. lç. XVIC.

THRENVS
IOHANNI ROSI
NO SATECENO, CIVI DOMAZLI,
CENSI, POETÆ VENVSTO, ET INGE-
nioſo Anno 1584. 6. die Decembris,
qui Nicolao eſt ſacer, vita
functo.

TE quoq; Muſarum, Phœbiq; Roſine, Sacerdos,
Falcigera necuit mors violenta manu?
Et non ingenij præſtantis copia, non te
Hoc potuit pietas eripuiſſe iugo?
Non aliæ dotes? quibus & Natura, Deusq;
Muniſcâ ante alios te cumulâre manu?
Ergo quid à puero tot ſuſtinuiſſe labores
Proſuit, & ſtudijs inuigilare ſacris?
Quid iuga Parnafi tanto conſcendere niſu?
Atque Caballino fonte leuare ſitim?
Quid fidibus dulces reſonis mollire Camænas?
Quid ſacili carmen concinuiſſe lyra?
Dulce ſed & ſuavi variatum pollice carmen,
Peſtanis carmen floridiuſque roſis.
Omnia cœu puncto dum mors turbauit in vno,
Suſtulit & dotes, imperioſa, tuas.
Quid memoro dotes? quæ te quoq; ſuſtulit, audax
Proſtratum laqueis implicuitq; ſuis.
A ij Priu2



1997 KK 69

AKC. 16/42

Priuauiq; tua nos consuetudine, tecum
Quot studijs iuncti, quot fuimusq; fide.
Ah quid hoc igitur securi viuimus orbe,
Spe citius dum nos mors odiosa necat?
Quid coquimur curis? fumos venamur honorum?
Per fas, perq; nefas quid cumulamur opes?
Ventoso turgent cur nobis pectora fastu?
Cur nos progenitos non memoramus humo?
Terrea massa sumus, tenuis vapor, aura volucris,
Fumus iners, puluis, vitrea bulla sumus.
Et dum fortunæ fastigia summa tenemus,
Mors subit à summa præcipitatq; rota.
Dignus eras, ah dignus eras producere vitam
Longius, ô Clarî fama, Rosine, chori.
Vt caneres patriæ, caneres & carmina Christo,
Solut hic obiectus nam tibi finis erat.
Ac quàm felici tibi carmen & vberè vena
Fluxerit, in numeris gratia quanta fuit,
Edita testantur passim monumenta, vel ipse
Princeps quæ vatum Naso probare queat.
Quæq; latent etiam vel iam limata, suprema
Vel quibus edendis est adhibenda manus.
Atq; vtinam cæcis producat & illa latebris
Tempus, vt vsuram lucis habere queant.
Sed vereor: primos hæc nam fortuna poetar.
In Boemîs sequitur (turpe referre) plagis.

Vt

Vt lateant horûm doctiq; pñq; labores,
Et fiant blattis vt, tineis p; cibus.
Nemo, vel est rarus, quamuis per carmina vellet
Viuerè, ab interitu vindicat illa suo.
Imò etiam, donat si quisquam luce superstes,
A Etatem posset ferre quod Author opus:
Aut quod cuiusquam pro tempore spectet honorem,
Qualis ad Authorem gratia, quæso, redit?
Eloquar; an sileam? sed præstat dicere: sellam
Donato & phaleras frenaq; iungit equo.
Cumq; opera vigili consumptum perdit olium,
Sic gemina officij damna refertq; pñ,
Et speranda manet vatum post fata Camœnis
Gratia? Iudicio est spes ea vana meo.
Sunt vbi Collini præclara poemata, constat
Quæ vario doctè concinuisse m. tro?
Quis scit vbi latent arguti scripta Cutheni,
Cum salibus multis, scripta referta iocis?
Ast ea iam tandem lucem fortasse videbunt,
Et nostro, & studio, B A N N O, renata tuo.
An non Austini famæ est iniurius? eius
Quisquis in occulto carmina docta premit,
Ostracij doleo priuatas luce Camænas,
Obductasq; situ tristè iacere putri.
Huic sortem similem fuit experturus & ipse
Cropacius, Clarî gloria prima chori:
A iñ

Ipse

Ipse sed hoc vates, vatis post fata, Melissus
Cauit, defuncti motus amore pio.
Euenit hoc alijs, sed quos pertexere tempus
Præsentis cæpti non patiturq; status.
Sors tua par metuo quod scripta, Rosine, manebit
Scripta licet niueis floridiora rosis.
Namq; ego, sed patri precor o ignoscite vates,
Te patrijs longè vatibus antetuli.
Et quis erat, veluti qui per ludumq; iocumq;
Tangeret Aoniæ plectra sonora lyra?
Excipio Ostracium, defuncti cuiq; sepulchri
In patrijs fuerant iura negata focis.
Sturmion huic addo, qui si non vincere, venâ
Esse tibi ingenij sed potuere pares.
Sed quæ me, dolor heu, deducit in auia luctus?
Quo feror? ad cæptam Musa recurre viam.
Dignus eras, ah, dignus eras, producere vitam,
O decus Aoniæ dulce, Rosine, chori.
At præscripta suæ dum cuiq; est ordine vitæ
Linea, quam nulli transiisse licet;
Et præscripta tibi, nobis tecumq;, Rosine, est
Omnibus, hanc quamuis cernere nemo potest.
Incautiq; ad eam planè perducimur, atq;
Prudens hoc voluit nos latuisse Deus.
Sic tibi cum stadium decurrere contigit, in quo
Delituit vitæ meta reposita tua:

Non

Non illam modico licuit transcendere puncto,
Impactos in eam nonq; referre pedes.
Substiteras igitur, donec mors pallida summi
Numinis iniunctum iussa peregit opus.
Dumq; peregit opus, tennes tuus exit in auras
Spiritus, & dantur membra caduca solo.
Nil manet hic reliquum tua quàm, post funera, virtus,
Quàm desiderium, & nescia fama mori.
Flebône, sed nimium te morte, Rosine, peremptum?
Haud opus, & pietas religiosa vetat.
Sors tua nam potior nostrâ, magis estq; beata,
Flebilibus quot in his contigit esse plagis.
Tristibus exemptus tu curis gaudia carpis,
A Eternis frueris, perpetuq; bonis.
Nos varijs miserè curis vexamur in horas,
Quolibet ærumnis facta veniſq; dies.
Ringimur, & tristes motus, & bella timemus,
Quæ toto frendens excitat orbe Sathan.
Nulla fides superest: labat inclinata Sareptæ
Gloria, quassatur religionis apex.
Virtus in nullo pretio est, quæ vera: sed eius
Obtinuit passim putida larua locum.
Nil promissa valent: verbis fraudare decorum est:
Mentiri virtus: fallere grandis honos:
Quoq; dolos magis est quisquam ingeniosus ad omnes,
Hoc magis ante alios nomine laudis habet.

Vt

Vt nihil hic mundus, quàm sit sentina malorum,
 Et Pandora suis corruitura malis,
 Sic & agi prudens his cum benè: colligit omnes,
 Quos medio lethi tollit ab orbe Deus.
 Ergo vale, vale, ô salue, salueq; Rosine,
 Salue Pierij fama, valeq; chori.
 A fatis donec tandem veniemus in vnum,
 A Eterniq; thronum stabimus ante Dei.
 Hic vbi cum Christo æternum regnante, piorum
 Grex etiam æternum gaudia lætus aget.
 Iane vale, ô iterum iam, iterum salueq; Rosine,
 Terraq; sit cineri non onerosa tuo.
 Interea hi versus, ergo Crinitus amoris
 Quos dedit, ante oculos posteritatis erunt.

EPITAPHIVM.

HOC iacet inclusus tumulo post fata Rosinus,
 Aoniæ passim notus ab arte lyræ.
 Lacte suo lepidæ quem nutriuere Camœnæ,
 Cui Clarijs Phœbus labra rigauit aquis.
 Cui dedit ingenium Pallas, cui munera linguæ
 Facundæ Maiâ contulit ampla satus.
 Zattecio puer ætatem contriuit in vrbe,
 Praga suo iuuenem fouit amœna sinu.
 Principis ensiferi ditio nutriuit adultum,
 Tusta viro thalamum præbuit, & tumultum.

Fecerat

Fecerat hunc virtus doctusq; iuncta celebrem,
 Candor & ingenuus, mens pia, sancta fides.
 Ast apud hos tantum, virtus, doctrina, fidel'q;
 Et candor curæ quîs pietasq; fuit.
 Nam fecem vulgi studiò vitauit inertis,
 A quo sæpè etiam multa molesta tulit.
 Nunc iacet exanguis, cuius fleuere Camœnæ,
 Pallas, Atlantiades, Phœbus & ipse necem.
 Omnes fata manent: sed terq; quaterq; beatos,
 Contigit in vera queis pietate mori.

ETEOSTICHON CONTINENS AN-
num, & diem obitus.

LVX saCra NICOLeo eXspoLiãVIIt LVCe RosI,
 nVM,
 EXtat VbI BaVarIs TVsta propInqVa IVgls

EIDEM IOHANNI ROSINO.
 D. I M. S.

TVSTA cui sedes, & ibidem Fata maritam
 Cum sobole: exortum patria Zatzca dedit;
 Dormit in hoc tumulo Iohannes ille: Rosini
 Siue à rore trahens nomina, siue rosas;
 Apta: sacro illius nam fluxit rore Camœna,
 Spirauit dulces sed pia vita rosas:

B

Sunt

Sunt testes luci vel quos dedit ipse, libelli,
Quos vel adhuc orbos scrinia patre premunt.
Vivitur ingenio: sæpè id mors vivere turbat;
Ante necans doctos tempora iusta viros.
Requiescit in spe resurrectionis ad vitam.

P. M. C. P. C.

Procopius Lupacius.

IN MEMORIAM HUMANISSIMI, ET DOCTISSIMI

Viri & Poëtæ Iohannis Rosini Satecenii,
Cuius Tustensis.

ELEGIA
IOHANNIS VVOLFII Rectoris
Gymnasij Ratisponensis.

SVnt varij flores ornant qui prata decora,
Verum alijs alijs plus bonitatis habent:
Sed rosa cunctorum florum suavis odore
Exhilarat quosvis, qui tetigere manu.
Est color egregius qui nulli cedit honore,
Seu sit purpureus, seu quoque candidulus.
In primis odor excellens præcordia ad ipsa
Ingreditur, recreans suavis absque mora.

Sic homines variant, magnum est discrimen in illis,
Atque alijs alijs plus bonitatis habent.

In primis profunt multis, sunt lumina mundi
Doctrina celebres & pietate viri.

Qualis erat nuper noster pius ille Rosinus,
Quem nunc defunctum terra Bohema gemit.

Hic rosa suavis erat, recreans pia pectora scriptis,
Artibus ingenuis, consilijsque bonis.

Ille decus patriæ fuit, & lucerna refulgens,
Quam tutò poterat ciuica turba sequi.

Sed iam Musa gemit, tanto spoliata Poëta,
Cuius vix similem Zechica terra fouet.

Nam vario metro scripsit dulcissima dicta
Christi, quæ numeris non numeranda meis,

Et dextrè exposuit, monstrato fonte salutis
Christo, quo solo turba beata sumus.

Sed nondum in lucem venerunt, morte remoto
Autore eximio, quem polijisse velim.

Nunc tibi Procopi labor hic impendet amici,
Qui tibi Theseo fœdere iunctus erat.

Nec reuies patriæ, dulciq; rogatus amico,
Carmina cum patriæ commoda magna ferant.

Omnia nam pia sunt, spirant cœlestia tantum,
Nobis quæ doctè Musa Rosina dedit.

Hinc pueri atque alijs discent quæ sancta, Decque
Grata sient, mores format & ille piè.

B ij

Sed

VEN

Ni

Ni facias, tunc te Nemesis condigna sequetur.
Sera venit, tamen est ultio iusta. CAVE.

M. IOANNI ROSATIO SVTI.

CENO A. Christi 1584. die

Mens. mortuo Tumulus.

HOC vates iacet ille, Mantuani
Vatis æmulus, abditus sepulchro,
Qui cognomine dictus est Rosati.
Morti soluit ubi ferocienti
Debitum, quod ad obligamur omnes
Soluendum, quibus huius, à Parente,
Est usura, Deo, relicta lucis.

O mortem nimis asperam, cruentam
Mortem, sanguineam, trucem, malignam,
Crudelem nimis, & nimis ferocem:
Quæ cæli lumine cassa, tam celebrem,
Præstantem. q̃ virum truci peremit
Falce, non sine lachrymis bonorum.

At si finis hic omnium statutus
Est vitæ, moriamur ut, cibulq̃
Simus vermibus, & cibus colubris,
Quid mortis iuuat incusare factum &
Præstat sed potius piè futuram
Vitam quærere, ruminatiōe q̃
Euitare scelus frequente mortis.

David Crinitus.

